



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

3. Hospes Eresbvirgi Prærvptam conspicis Urbem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

Corbegensi Archidiacono in Horhusen Canonico Paderburnensi fuerint presentati ad eandem parochiam donum altaris & curam animarum perpetuo recipient in futurum & Praepositi vel alij qui parochiam eandem habuerint ratione ejusdem parochiae in Ecclesia Paderburnensi Episcopales synodos frequentabunt. Quod autem ea quae prescripta sunt Ecclesiae Paderburnensi perpetuo servabimus Nos & Ecclesiam Corbegensem Paderburnensi Ecclesiae sub pœna quingentarum marcarum hijs literis obligamus. Acta & completa sunt hæc in Ecclesia Corbegensi Anno Domini M. CC. XLVII. in crastino natiuitatis B. Mariae Virginis.



3. HOSPES ERESBURGI PRÆRVPTAM  
CONSPICIS VRBEM. *ERESBURGVM* præ-  
cello latèque conspicuo monti impositum Widekindus &  
Ditmarus urbem, civitatem auctor vitæ Caroli M. Annales  
Franc. vita Caroli M. apud Pith. Astronim. apud Reub. &  
complures alij castrum. Ægil. in vita S. Sturmionis castel-  
lum, alij arcem appellarunt. Castri aut nulla aut exigua ve-  
stigia supersunt; urbs paulò ante An. 1247. instaurata vide-  
tur, domicilijs ex villa *Horhusen* in montem *Heresberg* trans-  
latis, montèque munito, ut ex diplom. cit. liquet. Complectebatur, ut Meibom. scribit, 500. domicilia non inelegantia, ci-  
vèsque ob commercia opulentos, sed numerum ædium  
I fortu-

fortunásque civium multum imminuit proximum bellum, quo An. 1646. 25. maij oppidum à Succis expugnatum, direptum, & munitionibus nudatum.

4. ANTIQVA CELEBREM RELIGIONE LOCVM. Erat namque *Eresburgi* fanum nobile, sive, ut *Meibom.* scribit, *religione augustum, magnitudine ingens, structura operosum, splendore magnificum, divitijs inlytum*, atque in hoc delubro vastissimum Idolum totius Saxonix, numen gentis tutelare & commune. Solebant antiqui Saxones, & cum primis militares homines certis iisdemque solemnibus & festis diebus armis induti, atque etiam cataphracti, gladiisque accincti, dextra vero cæsus ferreos vibrantes, alternis circa Idolum patrium obequitare, interdum in genua procumbere, opemque presentem & in bello secundam fortunam efflagitare. Huc quoque frequens populus ibat & vota reddebat. Multa ibi opulenta regum populorumque visebantur munera, ingens auri argentique ostendebatur copia. *Avent. l. 4. annal. Bojcorum.*

5. MARTIS IBI QVONDAM SIMVLACRO. Non uno eodemque modo ab antiquis Francicarum Germanicarumque rerum scriptoribus nomen hujus simulacri, seu Idoli enunciat. *Annales Francici. Fuldenses. Adeilmus.* habent *Irminsul.* Hos sequuntur *Ditmarus Mersburgensis. Aimonius. Schaffnaburgensis. Hermannus Contractus. Vrspergësis. Modice variant Adam. Brem. qui Irmindsul. Albert. Stad. qui Erminsul. auctor vitæ Carol. M. qui Ermensul* scribunt. alij aspirationem adjungunt, in quibus *Regino, Hermanfaul. Rolevinc. Hermeseul. Chron. Belg. mag. Hermensul* appellant. *Chronicon Saxonicum Armensul.* Quia ex duabus dictionibus compositum, de utraque controvertitur, an posterior cippum, seu columnã, an verò aulam significet; præcipue